

Disputatio Theologica, De Finibus Theologiae Dogmaticae Et Moralis Recte Constituendis

Buetzovii: Fritzius, 1764

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830005552>

Druck Freier  Zugang



Vin. Proprietat. sive Dupl.

71

572

Fa-1092 (11.)

- N. 1. Wippel *Labrum sub Daniel Eremita.*
- N. 2. Christoffelius *lingularia octingenfia*
- N. 3. la providence ne s'interesse point à l'individu mais à l'espece.
- N. 4. Tychsen *abbreviaturarum hebraicarum supplementum l.*
- N. 5. Burfeker *de gazza derelicta futura ad illustrandum locum Zeph.*
 xl. 4. *Dissertatio postposita.*
- N. 6. Ernesti *de praeparata corpori et sanguini Christi in coena sacra.*
- N. 7. ~~Ernesti~~ *de Concilio Tridentino part. l.*
- N. 8. Aepinus *Imp. Caroli Ch. merita in rem sacram.*
- N. 9. Charvicius *de sapientia sanctissima rite colenda.*
- N. 10. Tychsen *de delectu veterum ebraeorum dissertationis l.*
- N. 11. Witte *de genuina S. G. universali natione.*
- N. 12. Boederlein *de finibus theologiae dogmaticae et moralis recte constitutendis.*
- N. 13. Weidenes *quod salus aeterna non meritis nostris sed solum Dei gratia per meritum Christi acquiritur ne talis*
- N. 14. *Item Regentur male regens et fanatici reditum ad Papismum frustra suadent.*
- N. 15. Rufius *de veris sinceris peccatoris Christi requisiti etc.*
- N. 16. Zaachre *de lege aequilibrata in natura observatam etc.*
- N. 17. Schmid Verisio *Alexandrina optimum interpretationis librorum sanctorum praedictum.*
- N. 18. Richter *de theologo Dei Romine ad 2 Thim. III. 17.*
- N. 19. Schubert *de iudicio Joannis Calvini et Figurorum in causa Haereticorum.*
- N. 20. Zachariae *de usu dogmatico nomini filii Dei.*
- N. 21. Emmerling *interpretatio. Num. XXII. 20-35.*
- N. 22. Hoerfelmann *de divina punctorum vocalium et aereentium codicum hebraici origine.*
- N. 23. Haempfer *de modo praedicationis Paulinae per aegesein dicti l. Col. II. 4. 5.*
- N. 24. *Item de modo praedicationis etc.*
- N. 25. Haestner *Ernesti - Grund des Unsterblichkeits des menschlichen Geistes.*
- N. 26. Christoffelius *de vita Pamingerorum commentarius etc.*
- N. 27. Becker *quaestio: an aeterna annihilatio hominum peccatorum fore etc.*

- N. 28. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fredericianae Butowien-
 N. 29. Fauvotius de poena hereticorum etc.
 N. 30. Doederlein de vero usu atque abusu rationis humanae in rebus divinis
 N. 31. Idem de usu atque abusu rationis etc.
 N. 32. Rector Academiae Lipsiensis Pentecostales ferias etc.
 N. 33. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fredericianae Butowien-
 N. 34. Academiae Fredericianae Butowienfis Rector et senatus acade-
 micus memoriam resurrectioni Christi etc.
 N. 35. Idem solemnia natalia Domini nostri Jesu Christi etc.
 N. 36. Zachariae Christus $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma\ \epsilon\kappa\ \tau\omega\upsilon\ \rho\epsilon\gamma\mu\omega\upsilon$.
 N. 37. Rector et senatus academicus Butowienfis etc.
 N. 38. Zachariae Christus $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma$
 N. 39. Rector et senatus academicus Butowienfis etc.
 N. 40. Marrius de jurisprudentia divina ex codice sanctissimo.
 N. 41. Becker an Gn. D. Teller nisi negata vera spiritus sancti deitate etc.
 N. 42. Idem an Christus in sua explanatione et ascensione etc.
 N. 43. Chryzander de fundamento explanationis Christi Romini maiestatis.
 N. 44. Idem recensio scriptorum eruditorum
 N. 45. Rottboell de vestibus et calceis Israelitarum.
 N. 46. Trendelenburg de Judaeis etc.
 N. 47. Ministerii quae hincenburg Pastoralis scripturae etc.
 N. 48. Rector universitatis ad solemnia paschalia etc.
 N. 49. Quistorp de ratione modoque quo peccati fomes etc.
 N. 50. Becker creationis universi gloria filio Dei etc.
 N. 51. Quistorp de $\lambda\omicron\gamma\omega\ \text{Pauli}$ (Cor. 1. 5).
 N. 52. Prier de sanctis angelis et apostolorum etc.
 N. 53. Detharding de cura infantum recens natorum penes etc.
 N. 54. Martini de non usu iudicii denuntiatorii in Megapoli.

Q. D. B. V.
DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE
FINIBUS THEOLOGIÆ
DOGOMATICÆ ET MORALIS
RECTE CONSTITUENDIS.

QUAM
PRÆSIDE
D. CHRISTIANO ALBERTO
DOEDERLEIN,

S. S. TH. P. P. O. ET CONSIST. DUCAL. CONSIL.

D. JUNII
MDCCLXIV.

H. L. Q. C.

PUBLICÈ DEFENDET
RESPONDENS
JOANNES JUSTUS BAUCH,

MEGAPOLITANUS,
SS. TH. CULT.

BUETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.

DISPUTATIO THEOLOGICA
IN FINIBUS THEOLOGICAE
DOGMATICAE ET MORALIS
RECTE CONSTITUENDIS

PRÆSIDIO
D. CHRISTIANO ALBERTO
DOEDERLEIN

ET C. M. A. ET C. M. A. ET C. M. A. ET C. M. A.
D. L. G.
RESPONDIT
JOHANNES JUSTUS BALICH.
MAGISTRUS
SETHIENSIS

BUTSONI
THE JOHANNES JUSTUS BALICH, SEBASTIAN PRINCE, AND
ET ALIIS THEOLOGIS



§. I.



Theologiam christianam a theologis multifariam dividi solere, res vulgo nota est. Neque nobis in præsentia est constitutum, singula hujus distributionis genera persequi: sed unam tantum, eamque admodum solemnem, nec exigui momenti divisionem, qua dispersitur theologia in *dogmaticam & moralem*, paucis excutiemus; quo appareat, utrum ea secundum vulgarem & adhuc receptum sensum, omni ex parte recte se habeat, an vero aptius quodammodo, & ad naturam religionis christianæ accommodatius describi posse videatur? ut igitur via & ordine progrediamur; *primum* veram indolem & naturam christianæ religionis paucis explicemus, necesse est. *Deinde* ex historiarum monumentis eruamus origines, atque vim, & potestatem vulgarem istius divisionis. *Denique*, comparatione instituta, modeste decernendum erit, num illa secundum hanc potestatem vulgo receptam naturæ christianæ religionis apte congruat? aut quid in ea merito desiderari & emendari possit? Deum O. M. autem supplices veneramur, ut conatus nostros ad illustrandam gloriam nominis sui, & ad disciplinam sanctiorem ab ipso nobis traditam, exornandam, ipse dirigat!

A 2

§. II.

§. II.

Quod ad primum disputationis nostræ locum attinet; principio illud tenendum est, quod neminem fugit, omnes disciplinas dudum a doctis & sapientibus viris in duo principalia genera distribui solere, in *theoreticas* nimirum, & *practicās*. Quæ voces cum apud vetustissimos græciæ philosophos jam in usu fuerint; quandoquidem præsens nostrum institutum copiosiores criticas disquisitiones haud ferat: satis habeamus, paucis adnotasse, quod omnem hominum vitam præsci illi philosophi, PLATO maxime, atque ARISTOTELES, aut *theoreticam* esse dixerint, aut *practicam*. Atque illam putabant maxime versari in æternis semperque persistentibus rerum notionibus, quas *ideas*, alius alio tamen significato, appellaverunt, mente & intelligentia percipiendis, atque contemplandis; hanc vero dicebant inesse in exercendis externis vitæ negotiis atque officiis, in gerenda republica, in administranda familia, cæt. Ex quo sequebatur, ut & duplex hominis bonum affirmarent esse, quorum alterum sit theoreticum, cum quis beatam vitam collocet in summa ista animi jucunditate, quam contemplatio æternarum veri notionum gignit: alterum vero, practicum, doceat, quid in vita negotiisque hominum sit spectandum, & aut appetendum, aut fugiendum. Hinc duplex istud disciplinarum genus constituerunt, *theoreticarum*, & *practicarum*: *) quamquam explicatio hujus divisionis principiis, a quibus profecti erant, haud accurate responderet, nec ipsi sibi hac in parte satis constare visi sint. Etenim cum propter constitutum duplex vitæ genus, *theoreticum* & *practicum*, *theoreticæ* disciplinæ illæ vocandæ fuissent, quæ instituunt hominem & formant ad

vi-

*) Conf. DIOGEN. LAERT. L. III. Seg. 78. 84. L. V. C. I. Segm. 28. 30. inter recentiores vero, præ cæteris, Ven. BRUCKERUS, Hist. Crit. Philosoph. P. II. L. II, C. VI. Sect. I. §. 16, & 30. it. C. VII, Sect. I. §. 13.

vitam theoreticam agendam, in qua PLATO certe putavit inesse finem bonorum, *practica* vero, quæ vitam practicam, e-
 jusque officia explicant & gubernant, atque propterea, quid-
 quid pertinebat ex disciplina PLATONIS ad purgandum animum
 a sensuum perturbationumque servitute, erigendumque eum
 ad veras & æternas res, quo summi boni beatæque vitæ po-
 tiretur, referendum fuisset ad theoreticas disciplinas; PLATO
 tamen, cum ad describendam divisionem disciplinarum perva-
 tum erat, oblitus principiorum, quidquid ad purgandum gu-
 bernandumque appetitum facit, *practicum* vocavit, ideoque
 totam institutionem beatæ vitæ, quæ *ethica* ab ipso appellaba-
 tur, retulit in numero practicarum disciplinarum. Quam ra-
 tionem hoc magis secutus est ARISTOTELES, quod neglecta
 præceptoris disciplina, ipsum bonorum finem, ipsamque bea-
 tam vitam collocaret non tam in theoretico, quam in practico
 vitæ genere. Igitur *theoreticæ* disciplinæ remanebant nullæ,
 nisi quæ versarentur proxime in instituendo intellectu ad recte
 formandas notiones de rerum natura, seposita interea confide-
 ratione discriminis bonorum & malorum, reservataque ea
 cum tota voluntatis emendatione ad *ethicam*. Hanc dividen-
 darum disciplinarum rationem retinentes scholastici, deinceps
 & nostri homines, *theoretica* decreta & præcepta ea vocant,
 quæ proxime eo tendunt, ut intelligentia comprehendamus ve-
 ram rerum naturam, rectasque illarum notiones animo infor-
 mare discamus, nullo expresso & proximo respectu habito ad
 declarandum, quid nobis aut faciendum, aut fugiendum sit.
 Istud vero *practicum* in universum dicunt, quod proxime &
 data opera præcipit ac decernit, quid, ut proposito aliquo fi-
 ne potiamur, aut suscipiendum & gerendum, aut evitandum
 & omittendum sit. Est igitur illud, quod *practicum* appella-
 mus, multiplicis generis, pro diversitate finis, quem quis sibi
 propositum habet. Sed nostra hoc loco disputatio instituitur
 de *practico morali*, in sensu universaliori, quo decernitur,
 quodnam sit summum hominis bonum? quanam in re versetur

vita vere beata? atque quid tandem ad eam obtinendam nobis aut appetendum, aut fugiendum sit?

§. III.

Ex his intelligimus, quam arcto quamque necessario vinculo cohæreant, & inter se apta sint præcepta *theoretica* atque *practica*. Nec enim practicæ res recte & accurate explicari possunt, nisi rerum naturam, verasque illarum notiones, quantum fieri potest, cognitâs habeamus; ut exinde comparatione instituta, definiatur, quomodo quæque res ad naturam nostram sese habeat, quid conferat nobis ad beatam vitam, quo respectu propterea, & quibus ex causis sit bona, vel mala, & quibus legibus denique aut appetenda, aut fugienda sit? Neque tamen theoretica decreta eorumque cognitio per se & proxime nos meliores, aut beatos reddunt: quippe quod tum demum accidit, quando rerum naturam cognitam transferimus ad discernenda bona & mala, ut illa sectemur, hæc vero fugiamus: i. e. si decreta theoretica re ipsa adhibeantur ad intelligenda & sequenda præcepta practica. Cum vero res practicæ ex natura rerum, accurate & distincte declarata, legitimis ratiociniis eruuntur, & apto atque convenienti nexu disponuntur; tum scientifice & systematice eadem tractari dicuntur.

§. IV.

Præcepta practica proxime versantur in dirigenda & ordinanda voluntate nostra, (§. II.) atque id quidem eo modo, si accurate tradi debeant, ut ex rerum natura cognita *rationes* declarentur, cur, & qua lege quidque vel bonum, vel malum, atque propterea vel appetendum sit, vel fugiendum (§. III.). Unde deinceps colligitur, quænam actiones, quæ in nostra potestate positæ sunt, vel suscipiendæ, vel omittendæ sint. Enim vero rationes istæ, ex rerum natura petitæ, cur voluntate ac moribus ita affecti esse debeamus, aut quare hi actus probandi, isti autem damnandi sint, a nostris hominibus, quamvis

vis barbare, *motiva* vocantur. Hinc illius, qui res practicas accurate & recte tradere cupit, duplex officium existit. Tum, ut, rerum natura atque conditione ex vero declarata, constituatur inde bonorum finis ac vita vere beata, quæ nostræ naturæ congruat, quidque propterea in quaque re, voluntate & appetitu nostro, totaque in vita & actionibus nostris sequi, aut fugere nos oporteat: tum ut ex eadem rerum natura recte intelligendo comprehensa, rationes voluntatem & appetitum moventes, sive *motiva*, accurate reddantur & explicentur: Quod si cuncta rerum genera cognita hoc consilio, istoque modo ita discutiamus, ut singula membra disputationis apte inter se cohæreant; tum vero pulcrum & undequaque perfectum *systema practicum* extruitur (§. III.). Sed hoc ipsum duplici rursus modo fieri potest. Etenim vel decretis istis, quæ ad naturam rerum explicandam & recte intelligendam pertinent, aliunde assumtis, conclusiones istæ, quæ per se practicæ sunt, tantummodo pertractantur: quo facto nascitur *systema mere practicum*. Quod quidem in philosophia practica fieri solet: ubi assumuntur tantum, tamquam in theoreticis disciplinis jam demonstrata principia, quæ fundamentum disciplinæ practicæ continent. Vel una eademque opera initio ipsam rerum naturam, quantum ad res practicas inde concludendas necesse est, persequimur, adjungentes deinceps integrum rerum practicarum systema. Quod si facimus, struimus absolutum *systema theoretico-practicum*.

§. V.

Jam vero, ut accurate definire possimus, quale sit systema divinitus patefactum, & quænam distributio rerum ad theologiam revelatam pertinentium, congruens & apta sit; contemplemur paucis summam & nexum eorum decretorum, in quibus tradendis scriptura sacra maxime versatur, quæque formam religionis a Deo præscriptæ in universum continent. Sunt vero, quod nemo negare poterit, primo loco in iis per-

mul-

* * *

multa, quæ secundum definitionem supra (§. II.) traditam, *theoretica* vocari possunt, & debent. Copiosa enim est scriptura sacra in instituendo intellectu nostro, quid de Deo, ejusque natura, attributis, & personis tenendum sit. Declarat eadem deinceps naturam reliquarum rerum, quantum ad intelligendam relationem istam opus est, in qua nos & reliquæ hujus universi res ad Deum, creatorem & parentem nostrum, in universum constituti sumus. Instruit homines, quanta corruptio invaserit ipsorum naturam, quantoque intervallo naturalis eorum indoles nunc quidem & hoc rerum statu distet ab ea animi rectitudine, & ab isto sensu, quo homo, siquidem beatus esse velit, tum erga Deum, cum erga alias res affectus esse debeat: ut nosmet ipsos nostrumque statum vera mensura metiri, & quales simus, ex vero cognoscere possimus. Aperit nobis consilia divina, quid Deus infinita bonitate permotus, ad nos, in summam miseriam detrusos, reparandos sapientissime decreverit? quis sit mediator, quem Deus humano generi ex interitu servando destinaverit? ut rectas de ipsius divina persona, officiis, & rebus gestis notiones animo informare discamus; quid Deus propter ipsum nobis polliceatur, ac quomodo in isto mediatore erga nos miseros peccatores affectus sit? Refarcit hac ratione scriptura atque supplet insignem istum, nobisque exotiosum defectum notitiæ naturalis, quæ hoc rerum statu, cum miseriis infinitis circumseptum, peccatis contaminatum, variis erroribus dubiisque opinionibus perturbatum, imbecillem & morosum ad bona, pronum ad quævis mala se homo sentiat, non satis argumentorum habet in sola natura, unde Deus infinite bonus & infinite sapiens, firma animi fiducia agnosci & colligi possit. Erudit denique, & illuminat nos plena luce, quæ sint fata hominum post mortem futura, quidque tum bonos, tum malos in æternum maneat? Hæc igitur decreta, & alia hujus generis, cum proxime tendant ad intelligentiam nostram recte informandam; quænam animi notiones esse debeant de Deo, de natura rerum, de statu

&



& conditione nostrâ, de Christo mediatore, de pollicitationibus divinis propter ipsum, de fati post mortem, cat. per se & sua natura *theoretica* sunt. Neque tamen scriptura in his subsistit, aut ea eo consilio tradit, ut homo veras notiones speculando duntaxat, & intelligendo assequatur: sed cuncta continuo transfert ad usum, & ad formandum hominis animum in appetendis & fugiendis rebus; atque sic ad theoreticas doctrinas *practica decreta* continuo adjungit. Cum Deus ipse, ejusque gratia, divinusque favor, cum & quatenus firma mentis persuasione agnoscitur, sit finis omnium bonorum, atque fons beatæ vitæ: hominis vero animus falsa bonorum specie deceptus & irretitus, procul absit ab isto sensu, in quo versatur beata vita; scriptura sacra hominem oportere docet, ad verum sensum sui ipsius adhuc occæcati & errantis perductum, toto animi & voluntatis conatu recedere, & retrahere sese ab istis falsis bonis, ex adverso autem converti serio & integro mentis desiderio & erigi ad Deum, ut in ipsius bonitate, sapientia, potentia, provida cura, atque gratia agnita, tota voluntatis fiducia & voluptate recumbat & acquiescat, atque ipsius voluntati, mandatis, & in gubernando universo consiliis, læto & hilari animo, tam quod ad internum mentis judicium appetitumque, quam quod ad mores & vitam exteriorum instituentem pertinet, obtemperet. Ad hanc vero beatam felicemque immutationem mentis & voluntatis ut fortiter excitet & impellat homines scriptura sacra, rationes petit non solum ex iis, quæ Deus in rerum natura constituenda administravit, ad potentiam, sapientiam, & bonitatem suam erga humanum genus ostendendam; sed inprimis & maxime, qualem se Deus erga nos exhibuerit in mittendo filio ipsius unigenito, gravissimis & copiosis verbis homini declarat, & ipsi ostendit, quantos quamque infinitos gratiæ & bonorum thesauros offerat Deus illis, qui veniam & impunitatem promissam accipientes, relictis fallacibus bonis, per Christum ad ipsum accedant: ut intelligat homo, unum & solum Deum esse, cui ani-

B

mus

mus secure confidere, & in quo tota voluntas nostra requiescere possit. Addit scriptura, ne homo propter difficultatem rei despéret, se hominem plane perversum & imbecillum unquam tam salutari modo immutari posse, Deum ipsum per omnipotentem virtutem spiritus sui succurrere nobis, & quidquid verbum ipsius a nobis poscat, nosque facere jubeat, ipsum virtute hujus verbi efficere velle: oportere propterea nos spem & fiduciam capere, & assiduis precibus inter perpetuam meditationem verbi divini, nos nostramque totam voluntatem & mentis desideria Deo, ejusque gratiæ in Christo committere. Cum his ex adversa parte scriptura, quo fortius acuat rationes voluntatem nostram moventes, conjungit turpitudinem peccati, & immensas misérias, quibus mergantur ii, qui falsa bonorum specie detenti, se suamque voluntatem Deo subicere nolunt. Denique, ne quid desit, plenissimam perfectamque formam præscribit scriptura sacra, quid deinceps, si animus quoad interiorem statum & sensum divinitus ita immutatus & emendatus fuerit, in tota vita omnibusque actionibus sequi nos velit Deus, ut naturæ nostræ aliarumque rerum ex mandato institutoque divino congruenter vivamus, nec vitam nostram beatam ipsi evertamus, aut turbemus. Quis vero cuncta hæc, cum ad componendum animum formandosque mores unice pertineant, *prædica* esse negare, vel omnino dubitare posset? (§. II.)

§. VI.

Apparet igitur, in scriptura sacra omnia contineri, quæ ad formandum plenum & undequaque perfectum *systema theoretico-prædicum* requiruntur (§. IV.). Quamquam vero sapientiæ divinx hæc visum fuerit, salutaria præcepta, quibus nos per scripturam sacram imbui vult, eo ordine eoque nexu tradere, quem hominum intellectus in tradendis disciplinis excogitavit, & adhibere solet: sed sparsim potius per integram scripturam sacram, varique figuratione & forma, in medium af-

afferantur, quæ ad salutem hominum conducunt, nunc historice & paradigmaticæ, nunc paræneticæ, nunc legitimis etiam argumentorum conclusionibus, aliisque modis; tamen facili negotio quis, qui ingenium ad connectendas apteque in unum quoddam cohærens corpus cogendas res exercuit, præcepta divina per totam scripturam sparsim tradita colligere, eaque, quæ quodque ratione ex alio pendet, disponere, sicque pulcherrimum systema theoretico-practicum rerum divinitus patefactarum condere poterit: quandoquidem cuncta, quæ scriptura sacra ad salutem nostram nos docet, sive res sint theoreticæ, sive per se & sua natura practicæ, in arctissimo nexu versentur, priusque genus planè ad constituendum, explicandum, & inculcandum posterius spectet (§. V.). Hoc vero theologorum est, qui systemata theologica condunt, atque hæc ipsa est vera ratio atque methodus hujus gravissimi negotii: quam tamen hoc loco plenius & uberius explicari nihil attinet. Intelligitur & illud, integrum religionis systema, quod ex scriptura sacra colligi potest & debet, ad praxin pertinere; quandoquidem istæ etiam res, quæ per se & proxime duntaxat theoreticæ sunt, eo consilio & fine afferantur, ut ad præcepta, quæ proprie & proxime practica vocantur, recte constituenda, explicanda, & inculcanda transferantur. Quocirca recte se habet theologorum axioma: *Theologia, quanta quanta est, quod ad finem attinet, practica est.* Hinc est, quod & ipsa scriptura sacra christianam religionem doceat veritatis cognitionem eo consilio tradere, ut ad producendam fovendamque praxin usui sit, TIT. I, 1. C. II, 11. 12. & prisca ecclesiæ patres hanc christianæ religionis indolem recte percipientes, professionem illius simpliciter nonnunquam ἀσκησις, *exercitationem*, vocaverint. *)

B 2

§. VII.

*) Conf. SVICERI *Theſaurus eccleſ. voc. ἀσκησις*, T. I, p. m. 547. conf. vox βίος, p. 693.

§. VII.

Caterum, cum præcepta totum istud systema constituentia per hæc ipsa, quæ adhuc docuimus, ad multiplicia genera revocari, varietate secari & distribui possint; nihil obstat, quo minus secundum ista varia genera eorumque distributionem, diversæ ponantur theologiæ partes, quarum quælibet eertum quoddam præceptorum genus seorsim explicet, quo singulis recte perceptis, ipsius integri corporis notio & intelligentia eo plenior & elaboratior reddatur. Ex hoc fundamento theologia procul omni dubio & omnium primo, recte & accurate dispesci potest in partem *theoreticam* & *practicam*. Harum *prior* veras notiones de Deo, ac de natura & conditione reliquarum rerum omnium tradit, quatenus eadem secundum scripturæ sacræ ductum deinceps fundamenti loco adhibendæ sunt ad discernenda bona & mala, & ad definiendum, quid appetere, quid fugere debeamus. *Posterior*, sive *practica* pars, transfert deinde istas notiones de Deo & rerum natura, animo informatas, re ipsa ad constituendum finem bonorum & malorum, & quomodo ista mentis nostræ facultas, quæ in appetendis & averſandis rebus versatur, affecta esse debeat, quæque actiones aut suscipiendæ aut fugiendæ sint (§. VI.). Idem consilium, ut pro diversitate rerum ad theologiam revelatam pertinentium, plenioris & accuratioris tractationis gratia, diversæ constituerentur theologiæ partes, theologi secuti sunt in formanda, & invicem separanda theologia *dogmatica* & *moralis*. Harum partium fines si recte constituentur, prouti naturæ & indoli decretorum divinitus patefactorum, & commodiori institutioni hominum secundum bonæ methodi leges congruit; nihil continet ista distributio, quod vituperari possit, sed laudanda potius est, & summo studio excolenda & exornanda. Quo autem decernere possimus, utrum cuncta secundum vulgarem methodum, adhuc in discernenda theologia *dogmatica* & *moralis observatam*, recte se habeant, accuratamque religionis



nis christianæ notionem afferant? an vero fines hujus divisionis commodiori ratione determinari, atque propterea in tradenda theologia dogmatica & morali quodammodo melior, & naturæ religionis christianæ accommodatior methodus adhiberi possit & debeat? ex historia theologiæ paucis exquiramus necesse est, quomodo primum ista divisio exorta & in ecclesiam introducta, quæque vis & potestas isti adhuc a theologis nostris subiecta & attributa sit? Qui est alter disputationis nostræ locus (§. I.). Copiose iste quidem ab aliis doctrina excellentibus viris videtur excussus esse: ab iis nimirum, qui *historiam theologiæ literar.* tradiderunt, & a plerisque, qui ipsi ediderunt compendia aut systemata theologiæ morales, in prolegomenis & introitu horum scriptorum: quibus addi potest, qui inprimis accurate theologiæ dogmaticæ & morales statum atque fata per singula sæcula persequitur, b. MOSHEMIUS in *Institut. Hist. Christ.* Sed horum scripta compilare cum nostri consilii haud sit; contenti erimus, ad aperiendam hanc causam attulisse nonnullas observationes, quas ipsi legendo antiquitatis christianæ monumenta, evolvendoque scripta theologorum recentiorum, collegimus.

§. VIII.

Equidem primis rei christianæ temporibus doctores, quo magis nobilem istam simplicitatem scripturæ sacræ undequaque sequerentur, neque de systemate quodam copiosiori rerum divinarum condendo, nec de distributione earundem in sua genera & partes multum solliciti erant; sed explicatis breviter, aut indicatis potius, prouti tum temporis res & necessitas ferebat, præcipuis doctrinæ capitibus de Deo uno, ejusque filio Jesu Christo, qui se ipsum tradiderit in mortem pro salute humani generis, ac de miseria hominis corrupti, aliisque proxime eo pertinentibus, continuo subjungebant gravissimam institutionem prædicam, qua ratione igitur mens nostra erga Deum per Christum affecta esse debeat, ut relictis vanis rebus

✻ ✻ ✻

atque flagitiorum servitute, ad Deum per Christum sese convertat, illique fide, amore, & obsequio unice adhæreat. Constituto sic interiori mentis statu & interiori vita animi, addebant præcepta ad exteriorem vitam componendam pertinentia. Hæc omnia, quemadmodum a gratia Christi, qui nobis miseris & peccato oppressis virtute Spiritus sancti succurrat, unice expectanda esse monebant, ita simplici eadem & catechetica duntaxat tractabant methodo. Quod quidem totum nemo ignorare potest, cui *parram apostolicorum*, quæ feruntur monumenta, unquam lecta sunt. Verumtamen non modo disputationes contra ethnicos & judæos primum, atque deinceps contra hæreticos varii generis, occasionem subinde præbebant doctoribus, varia theoretica systematis christiani loca uberius tractandi; quod in se laudabile & proficuum erat, dummodo rectam semper viam tenuissent: sed, quod plane periculosum erat, & ecclesiæ per subsequencia sæcula tantum non exitium attulit, sæculo secundo jam adulto falsa persuasio coepit pullulare, qua vita christiana dispescebatur in communem, sive popularem, atque sublimiorem magisque spiritualem. Procul dubio, cum sensim magna multitudo ejusmodi hominum in ecclesiam irumperet, qui vim præceptorum theoreticorum, eorum maxime, quæ revelatæ religioni propria sunt, de morte & satisfactione servatoris nostræque reconciliatione cum Deo per Christum, haud recte perciperent, neque ea ad interiorem immutationem mentis, veramque animi affectionem erga Deum, quam scriptura sacra docet, producendam transferrent; sed, quod ad ista theoretica capita attinet, satis haberent, dummodo ea intelligendo qualitercumque amplecterentur, & profiterentur ore, in vita vero exteriori fugerent crassiora flagitia, & mores suos ad honestatem quandam componerent, quamvis in his quoad internum sensum & statum non sequerentur istas rationes, quæ ex præscripto christianæ religionis sequendæ & a vera fide in Christum sumendæ sunt, sed vulgares duntaxat & naturæ pervias; cum ejusmodi hominibus, inquam, ecclesia

re-

repleri cœpisset, neque omnem illis Christi religionem abjucare vellent doctores nonnulli, cum eos melius instituere debuissent, potius ipsi ad eam sensim delabebantur opinionem, ad communem & vulgarem christianorum vitam sufficere, dum quis præcipua theoretica capita quomodocumque intelligendo & ore profitendo sequatur, in vita vero virtutes quasdam exerceat, quibus aperta scelera evitantur & emendantur, quamvis neglecta immutatione & cultura interiori mentis per vivam cognitionem eorum decretorum, quæ nobis ab una parte miseriam nostram, ab altera gratiam Dei, Christi morte & sanguine partam, exhibent. Quandoquidem vero probe sentirent isti doctores, hanc christianismi formam ab illa longe differre, quam scriptura sacra docet; nobilior quoddam excogitaverunt christianorum genus, qui sublimiori & diviniore quodam lumine, quam isti christiani vulgares, collustrati, tum clarè & distincte intelligerent, quomodo per theoretica christianæ religionis capita, & secundum regulas ex illis proxime & necessario fluentes, intrinsecus sentiendum & appetendum, extrinsecus vero vivendum sit: tum deinceps non modo externas actiones, sed vel maxime totum interiorem animi statum ad eas regulas re ipsa componere studerent.

§. IX.

Has autem pravas opiniones sequebantur infinita incommoda. Nobiliores isti, qui videri volebant, christiani, hi ipsi sunt, quos CLEMENS ALEX. *γνωστικους* appellat; quod ut alio loco, si Deo placuerit, copiosius doceam, fortasse operæ pretium erit. Iidem vocabantur, *ascetae, philosophi, spirituales*; cum reliqui & vulgares christiani *βιωτικοι, seculares*, dicerentur: atque iidem illi totius *monachatus* veras origines continent. Etenim primis temporibus monachi nullum aliud videntur consilium tenuisse, quam ut omnibus inter vulgus christianorum in pejus ruentibus, ipsi, accuratiori meditatione rerum divinitas patefactarum adhibita, omnia ad usum re ipsa transferrent, atque



que tum intrinsecus animum ita instruerent & excolerent, tum
 exteriorem vitam eo modo gubernarent, prouti decreta christi-
 anæ religionis postulant. Hinc hi homines primitus verum
 scripturæ systema secuti esse, & ut fieri decet, verum finem
 theoreticorum præceptorum percepisse, ut istis uterentur tan-
 quam rationibus, quibus facultatem mentis appetitivam in or-
 dinem redigerent & gubernarent, videri possint. Neque o-
 mnino negari potest, fuisse inter hos homines, qui rectiora &
 quodammodo salutaria consilia animo agitarent, ut mens in vi-
 va cognitione Christi gratiæque divinæ per Christum, exerce-
 retur, eamque continuo transferre disceret ad studia interiora
 recte ordinanda, & ad vitam bene componendam. Quod qui-
 dem ex MACARII ægyptii libellis, ex regulis monasticis BASI-
 LII M. aliisque nonnullis intelligi potest. Nihilominus tamen
 tota res gravissimis premebatur incommodis. Ac primo qui-
 dem mature satis nonnulli in tradendis theoreticis decretis, &
 in transferendis iisdem ad explicandas rationes, quibus in emen-
 dando animo uti debeamus, relicta casta simplicitate scripturæ
 sacræ, multa immiscebant, quæ ex PLATONIS schola, aliisque
 lacunis hausta erant: quo in loco graviter jam CLEMENS
 ALEX. gravius vero discipulus ejus, ORIGENES, peccavit.
 Atque ab his fontibus manaverunt deinceps impura principia
disciplinæ pseudo-mysticæ, quæ veræ doctrinæ morali secundum
 scripturæ sacræ præcepta instituendæ, incredibilem cladem at-
 tulerunt. Deinde alii, inter monachos mediæ ævi præcipue,
 cum rectiora consilia priorum atque puriorum, de transferendis
 ad usum & ad animum emendandum fundamentalibus christia-
 næ religionis capitibus, oblivione sensim sepelirentur, neglecta
 vera, pia, & accurata meditatione rerum ad doctrinam de Deo,
 de Christo, de hujus beneficiis, de gratia divina per Christum,
 pertinentium, despectisque ad vitam recte instituendam iis ra-
 tionibus, quæ ex harum rerum viva cognitione peti debent,
 instituta monachalia commutarunt in nudas quasdam exteriores
αρχαίς, additis in dies novis, ineptis, & naturæ christianæ
 re-

religionis repugnantibus exercitiis. Utrique, tum pseudo-my-
 stici, tum reliqui monachi ἀσκησιῶν exteriorem sectantes, pra-
 xim christianæ religionis se sequi, videri volebant. Hinc exor-
 ta est duplex quædam species *discipline practicæ*, quarum alte-
 ra *mystica*, altera *ascetica monachalis* vocari possit. Etenim
 vocabulum ἀσκησις, etiam si priscis temporibus, uti supra me-
 nuimus, laudabiliori significatu adhiberetur; sequiori tamen æ-
 vo ad nudas propemodum exercitationes exteriores monacho-
 rum translatum est. Atque hæc quidem posterior disciplina
 practica continebatur regulis istis monasticis, quas quisque au-
 ctor novæ sectæ monachalis sectatoribus suis præscribebat.
 Conjungebatur utraque a multis: a nonnullis vero alterutra
 tantum colebatur. Cumque utrique, & pseudo-myistici, & re-
 liqui monachi, plerumque theoretica christianæ religionis decre-
 ta, quæ fide vulgari inter christianos credebantur, studiose re-
 tinere vellent; postquam decreta ista deinceps a scholasticis in
 unum corpus cogi & theologia dogmatica, item positiva, vo-
 cari cœpissent, de quo instituto statim plura monebimus, pri-
 ma fundamenta alicujus divisionis theologiæ jacta sunt, nimi-
 rum theologiæ *positivæ*, *mysticæ*, & disciplinæ *asceticæ mona-
 chalis*. Equidem & prima ista species doctrinas practicas a se
 negligi, videri nolebat, quod deinceps videbimus: præcipue
 tamen posteriores duæ disciplinæ, mystica & ascetica, praxim
 religionis, & culturam animi & vitæ se spectare gloriabantur.
 Sed hac quidem divisione, prouti ea a theologis medii ævi ac-
 cipiebatur, parum juvabatur recta, salutaris & accurata cog-
 nitio religionis christianæ: tota potius religionis forma obscuraba-
 tur, & pessime corrumpebatur.

§. X.

Alterum incommodum, quod sequebatur istam divisio-
 nem christianorum in vulgares & nobiliores, qui & ascetæ ac
 monachi vocabantur, istud erat, ut & in religione populari ge-
 nuina & nativa forma atque indoles veri christianismi plane, &

adhuc magis, quam apud monachos, amitteretur. In ipsis theoreticis doctrinis, quamquam doctores ad eas conservandas eximium studium conferre viderentur, acerrimaque exinde nonnunquam exorirentur atque internecina certamina, populus tamen sensim plane rudis evaderebat, ut vix prima christianæ religionis capita memoria teneret: quod ex decretis consiliorum ecclesiasticorum mediæ ævi, atque ex misera facie institutionis catechetice illarum ætatum abunde patet. Multo minus vero ista capita theoretica ita explicabantur a doctoribus, ut intelligere posset populus, qualis immutatio animi & quomodo in homine contingere debeat, quamque mentis affectionem interiori viva illorum capitum cognitio procreet, ut exinde, tanquam a puro fonte, omnis christiana vita exterior profluere possit. Hinc & morum doctrina misera, jejuna & sterilis reddebatur. Nec distincte & perspicue explicabatur, quæ sit natura vitæ beatæ ex præceptis christianæ religionis, aut quomodo eam adipiscamur per veram fidem in Christum, aut quam ratione cum ea salutaris renovatio totius interioris status & voluntatis sponte conjuncta sit, nec quidnam deinceps christiani hoc modo regenerati & immutati in tota vita omnibusque actibus suis sequantur, quibusve rationibus & consiliis animetur voluntas ipsorum. Sed quando de moribus dissecebatur, ita plerumque philosophantur doctores, ut cunctis potius aliis rationibus homines ad virtutis studium excitare conarentur, quam iis, quæ ex vera & interiori natura christianæ religionis, seu ex præceptis illius theoreticis recte explicatis, peti possunt & debent. Paucis, gravissimi isti loci practici, qui ad viam & ordinem salutis pertinent, de fide in Christum, quomodo ea producat in ordine veræ conversionis ad Deum, de virtute illius duplici, & justificante, & sanctificante, de nova vita mentis, quomodo ea insit in vera fide, de cunctis actionibus christianorum, qua ratione eadem unice ex fide emanent: hæc, inquam, gravissima capita practica aut omnino silentio prætermittentur, aut proponerentur ita obscure, confuse, & im-

implicite, ut quomodo res suas instituere debeat homo, qui verus christianus fieri, beatæque vitæ particeps esse cuperet, propemodum nemo percipere possit. Quocirca sensim, quidquid practicum reputabatur in christiana religione, redigebatur ad sterilem quandam & jejunam morum philosophiam. Quod gravissimum vitium doctrinæ moralis, ut prætermisso, aut certe minus plene explicato ordine salutis, quo quis verus christianus fieri atque in intimis mentis suæ recessibus solide immutari, novamque divinam vitam per Christi vivam cognitionem consequi debeat, vagis tantummodo & rhetoricis potius, quam proprie christianis uterentur argumentis, jam sæculi tertii commaculaverat christianos doctores, multo magis vero clarissimos etiam viros sæculi quarti & quinti. Ipse AUGUSTINUS, qui cæteroque omnium studiosissime interiorem mentis emendationem per solam Dei gratiam tuitus est, obscurus tamen & involutus quodammodo apparet, quod ad explicandam viam & ordinem attinet, quo divina gratia hominem ad fidem, per hanc vero ad justificationem, exinde autem ad novam & divinam animi vitam perducatur. Quo ineptiores deinceps & rudiores ipsi doctores fiebant ad argumenta rhetorica prudenter tractanda, eo miserior in dies & jejunior evadebat facies doctrinæ moralis popularis. Ipsa virtus sensim non in iis actibus potissimum collocari coepit, quos Deus per ipsam naturam & per verbum suum hominibus præscripsit; sed in ritibus quibusdam & institutis ecclesiasticis servandis, in externis poenitentiae ceremoniis, aliisque rebus partim ad veram animi emendationem nihil conferentibus, partim omnino ineptis & superstitiosis. Tota igitur vita christiana popularis istis miseris temporibus in eo versabatur, ut doctrinæ nonnullæ theoreticæ qualicumque cognitione historica memoria tenerentur; vita vero, sive id, quod practicum reputabatur, evitatis ad summum gravioribus sceleribus, institueretur ad ceremonias ecclesiasticas.

* * *

§. XI.

Mediis in his tenebris nonnulli, qui *scholastici* deinceps appellati sunt, consilium ceperunt; totam christianam doctrinam in unum quoddam coherens corpus unumque systema cogendi. Quod neque vituperabile erat in univ[er]sum, & qui prudentiores nec plane inepti ex eorum numero fuerunt, pulcre intelligebant, omnia decreta divinitus tradita partim *theoretica*, partim *practica* esse, utraque vero arctissimo vinculo conjungi, alterumque ex altero suspendi debere; ita, ut omnia tendant ad vivam cognitionem Dei, in qua insit beata vita, & ad totum mentis vitæque statum secundum istam cognitionem componendum. Sic, ex. gr. PETRUS LOMB. in *libris sententiarum* proficiscitur, a consideratione Dei & operum ejus, qui sit finis & summum bonum, & quo unice fruendum sit, progrediturque deinceps ad investigandam naturam hominis moralem, & ad virtutes eruendas, quæ convenient homini ad fruendum Deo aspiranti: adjunctis deinceps doctrinis de Christo, qui nobis fruitionem Dei promeruerit, atque sacramentis, tanquam mediis gratiæ. Eundem ordinem secutus est, sed multo copiosius & subtilius, THOMAS AQUINAS, qui postquam statim in limine *summæ suæ* monuerat, decreta ad theologiam pertinentia partim esse theoretica, partim practica; *prima* parte cognitionem Dei, tanquam summi boni, late persequitur: in *altera* æque copiose disputat de natura humana morali, & *quomodo ea ordinetur ad Deum, tanquam finem*, unde deinceps præcepta virtutum concludere conatur: adjunctis parte *tertia* doctrinis de Christo, tanquam causa meritoria, & de sacramentis. Eodem modo procedere solebant & alii scholastici. Sed multiplicibus erroribus & vitiis isti homines bonum consilium, quod animo agitare sibi videbantur, ipsi evertabant, omnemque fructum perdebant laboris sui. Ac primo quidem non in theoreticis modo, sed & in practiciis decretis explicandis, speculationibus nudis ingenii sui adeo

im-

improbe indulgebant, ut obliviscerentur plane illius consilii, quod necessarium esse ipsi intelligebant, ut nimirum cuncta referantur ad usum & praxin, & ad homines re ipsa beatos reddendos: commutatis per adscita philosophiæ aristotelicæ præcepta, nec recte intellecta semper, nec dextre applicata, gravissimis religionis capitibus in nudas, jejunas, sterilesque subtilitates, quæ ad emendandam mentem & vitam omni vi & usu destitutæ erant. Deinde, cum speculationibus tantummodo intenti essent, quod proprie practicum est in religione christiana, & in quo distincte ad instituendos homines eruendo & explicando præcipuus versatur theologiæ finis, atque propterea præcipuum maximeque salutare theologi officium, viam & ordinem salutis, quo quis ad vivam cognitionem Dei & gratiæ illius per Christum pervenire, atque sic re ipsa beatus evadere possit & debeat, tanta negligentia & inscitia tractabant, tantaque confusione & caligine res involvebant eo pertinentes, ut ipsos plane nihil horum intellexisse appareat. Equidem multa disputabant de contemplatione Dei, & de gratia, & de exercitio & habitibus virtutum: sed sine ullo ordine, qui ad usum re ipsa esset accommodatus. Cuncta disjectis scopis similia erant, quam justæ & cohærenti explicationi. Nusquam distincte satis evolvebant, quid sit gratia? quomodo & qua via ista operetur? aut qua ratione accidat supernaturalis ista, & beata mentis immutatio? Paucis, gravissimi articuli, in quibus vel maxime inest tota vis religionis christianæ, de regeneratione, de fide, de justificatione, de vera indole sanctificationis, non modo nihil lucis accipiebant a sedula vanitate horum hominum, sed obscurabantur potius, atque spinis contegebantur inaccessis, ut nemo unus ex disputationibus eorum plenam perspicuamque animo informare posset notionem, qualis sit vera ratio perveniendi ad salutem. Ex his sequebatur & illud, ut infinitas nugæ humani ingenii adsuerent isti homines, qui ipsi ignorabant veram religionis indolem, religioni divinitus patefactæ, quæ non modo ad eam recte intelligendam exercendam-



que plane nihil faciunt, sed repugnant illi, eamque evertunt: ut de merito operum, de invocatione angelorum & sanctorum, de institutis humanis, tanquam egregiis & necessariis cultibus servandis, de vita monastica, de purgatorio, infinitisque aliis hujus generis opinionibus. Quod quidem totum vel ex una THOMÆ *summa theologica* abunde intelligi potest: quamquam adhuc multo plus lucis iste ac sobrietatis habeat, quam SCOTUS, alique sequiores scholastici.

§. XII.

Cæterum istud doctorum genus, quos scholasticos appellamus, proxime & proprie auctores fuerunt constituendæ theologiæ moralis, tanquam alicujus separatae, & a reliquo systematis theologici corpore sejunctæ partis. Etenim cum THOMAS præcipue in *secunda secunda*, ut isti homines loqui solebant, i. e. in specialiori sectione altera partis secundæ, de vitiis & virtutibus, harumque exercitiis, actibus & habitibus late disputasset; fuerunt deinceps, qui hanc totius systematis partem data opera, atque peculiari studio, varia methodo, separatim tractandam sibi sumerent. Quo factò ii exorti sunt, qui *moralistæ* & nonnunquam *summistæ* appellabantur. Ab his distinguebantur *casuistæ*, qui circa officia christianorum varios conscientia casus formabant, eosque decidebant: item *canonistæ*, qui secundum canones conciliorum rem moralem tractabant. Verum hi quidem omnes, quod quivis intelligit, admodum exiguam particulam doctrinarum christianæ religionis practicarum *theologiæ moralis* nomine venditabant. Quod quidem apud ipsos ab ignorantia & incitia videtur profectum esse, utpote qui nullam aliam praxin christianismi nossent, quam quæ in observandis institutis ecclesiasticis, aut ad summum in exercendis virtutibus, quos ipsa natura quodammodo docet, versatur. Hinc nec virtutum ipsarum veros fontes perspiciebant, qui insunt in doctrinis de regeneratione, fide, & justificatione; & indolem earum adeo improbe evertabant, ut non-

mo-

modo ipsam fidem tanquam aliquam virtutum moralium duntaxat noſſent, ſed &, quamvis diſcrimen aliquod conſtituere viderentur inter virtutes philoſophicas & theologicas, quæ poſteriores ſint fides, ſpes & charitas, re ipſa tamen totum illud, quod ipſis practicum videbatur eſſe in religione chriſtiana, commutarent in philoſophiam aliquam morum: cui pravo conſilio pulcre inſerviebant opiniones pelagianæ, quæ jam dudum in eccleſiam irreperant, a ſcholasticis vero ſtudioſe propagabantur. Atque in his ipſis, quæ de virtutibus diſputabant, non plano & perſpicio dicendi genere utebantur, quod ad uſum vitæ, & inſtruendos homines eſſet accommodatum: ſed cum omnia cogerent in Ariſtotelicas ſpinas atque dumeta, inſinitis dubitationibus implicabant homines potius, quam erudiebant ad vitam ſecundum virtutem inſtituendam.

§. XIII.

Hac rerum theologiarum facie inſtinctu divino prodiit b. LUTHERUS, atque ad purgandam theologiam ab inutilibus quiſquiliis, meliusque ad uſum vitæ, inſtituendosque homines componendam eandem omnes ingenii & eloquentiæ vires, quæ in illo ſummæ erant, contulit. Atque primis quidem temporibus præcipuus labor ſummi viri, præcipuumque certamen verfabatur in repurgandis, recteque explicandis practicis doctrinis. Etenim cum potiora theoretica capita de Deo & Chriſto, huiusque perſona & officiis, adhuc quodammodo integra permaſſent, Lutherus ſummam rei aggrediens ſummo ſtudio & facili dicendi genere explicare conabatur, quænam ex iſtis theoreticis capitibus ſequantur, ſcriptura duce, præcepta practica de tota vita chriſtiana, utpote de ſalutari immutatione hominis peccatoris, quod ad interiorem mentis culturam, & exteriorem vitæ ſanctitatem attinet, & quænam ſit ratio, qua iſta immutatio accidat? dum homo miſeris oppreſſus, divina luce vivaque cognitione maximarum rerum, quæ in theoreticis doctrinis de Deo & Chriſto huiusque meritis inſunt, allectus &

ex-



excitatus convertat se toto animo ad Deum per Christum, ejusque gratiam amplectatur, sicque vera fide & regeneretur & justificetur: quo facto ex purissimis fidei & justificationis gratiæ fontibus, amore & obsequio erga Deum repletus novam vitam vivere, rectis consiliis in cunctis actionibus uti, verè que bona opera efficere possit. Quod quidem totum a scholasticis aut plane neglectum ignoratumque, aut pessime depravatum erat. Præpostere & inscite igitur quærit, quisquis quærit, an aliqua, & quænam sint b. LUTHERI, amicorumque ejus in res christianæ religionis practicas merita? quandoquidem omnis ipsis labor insumebatur in recte constituenda praxi christiana. Peccant porro gravissime in summos istos & divinos viros, ignorantiamque haud levem, aut improbam impudentiam produnt, qui eos cavillantur, prætermisissis practicis rebus, in nudis speculativis & theoreticis certaminibus defudasse. Etenim primum statim consilium LUTHERI, cum in publicum prodire coepisset, versabatur in praxi christiana repurganda: & quæcunque deinceps circa theoretica capita incidebant disputationes, ad praxin spectabant, ut ea a corruptelis pontificiorum vindicata puritati suæ primitivæ restitui possit. Quin & adhucdum summa controversiarum, quæ inter nos & romanam ecclesiam agitantur, ad praxin christianam, ejusque veram indolem redit: neque theoretici errores, quos pontificii partim pristino abusu receptos pertinaciter retinuerunt, partim necessitate coacti adsciverunt demum ipso reformationis tempore, alio pertinent, nisi ut pravissima decreta de natura christianæ vitæ & viæ ad salutem aliqua specie possint colorare. Quod qui ignorat, & certamina nostræ ecclesiæ cum romana ad theoretica duntaxat quædam capita, quæ ad vitam ipsam christianam haud adeo prope & necessario pertineant, putat revolvenda is, quæ & qualis sit vita vere christiana, parum intelligat, necesse est. Pari modo, quæ contra fanaticos disputabat b. LUTHERUS, maximam partem ad vitam christianam, ejusque origines & indolem recte declarandas spectabant unice.

§. XIV.

§. XIV.

Quod b. LUTHERUS, gravissimis impeditis negotiis, haud præstitit, ut integrum quoddam atque cohærens christianæ doctrinæ corpus daret, fuerunt alii, qui primis statim temporibus præstare conarentur. Cujus rei testimonium sunt PHIL. MELANCHTHONIS *loci theologici*: deinceps MART. CHEMNITIUS, NIC. SELNECCERUS, alique secuti sunt. Retinuerunt hi viri a scholasticorum studiis id, quod in se bonum & laudabile erat, ut scripturæ sacræ decreta ad instituendos homines de vera religione pertinentia, revocatis singulis ad suas classes, in unum corpus unumque systema cogerentur; quo uno quasi obtutu quisque integrum complexum naturamque religionis divinitus patefactæ perspicere, & cur, quibus ex causis, quoque consilio quidque ponatur, intelligere possit. Quapropter, quidquid pertinet ad homines in vera religione instituendos, nimirum tum *theoreticas* tum *præcticas* res, simul & una complectebantur opera. Recipiebant etiam nonnullas voces rerumque appellationes a scholasticis; invecias, quatenus perspicuitati orationis, cui vehementer studebant, id non obesse, sed eandem juvare potius sentiebant. Sed gravissimos istos defectus, quibus laborabant scholasticorum scripta, eaque de re plus damni, quam utilitatis vero christianismo afferebant, summo studio resarcire, erroresque cavere conabantur. Ac primo quidem sollicitè resarcabant, non in præctico modo, sed & in theoreticis doctrinis, inutiles istas spinosasque quæstiones, quæ ad rectè intelligendum Spiritus sancti sensum, quem in tradendis divinis dogmatibus intenderat, & ad usum vitæ, plane nihil faciebant: item ista commenta, quæ humanum ingenium sine divinæ scripturæ testimonio adsuerat. Deinde vero, quod præcipuum erat, divina decreta ita tradere studebant, ut arctissimus & indivulsus nexus *theoreticarum* rerum & *præcticos* christianæ, respectusque mutuus harum rerum, quem invicem

D

ha-

habent, quam fieri possit maxime perspicue declararetur, & cujusvis subiceretur intelligentiæ. Explicatis igitur theoreticis doctrinis de Deo ejusque operibus, de Christo ejusque meritis & beneficiis, de corruptione & miseria humani generis, aliisque eo pertinentibus theoreticis capitibus, confestim progrediebantur ad praxin christianam: quænam per ista decreta theoretica sit vera ratio & origo christianæ vitæ? quæ via ad Deum, & ad vitam novam & beatam, intercedente vera poenitentia, seu conversione & regeneratione, fide, justificatione? quomodo deinceps homo ita salutariter immutatus Deum per Christum ipsi propitium ex toto animo diligat, & ipsi in studio virtutum & bonorum operum serviat? quænam sint opera ista vere bona ex præscripto legis divinæ? undenam veniant vires, & quænam sint media, ad hæc cuncta efficienda? quot habeat quamque graves rationes homo dimittendi servitutem cupiditatesque peccatorum, seque per Christum ad Deum convertendi, propter summas misérias, quæ non tantum in hac vita, sed præcipue post corporis fata, obstinatis peccatoribus immineant; cum e diverso ineffabilis beatitudo hujus & futuræ vitæ cum gratia Dei per Christum conjuncta sit. Apparet igitur, omne consilium ecclesiæ nostræ theologorum in struendis locis theologicis, esse in eo penitus versatum, ut conderent plenum perfectumque *systema theoretico-practicum* (§. IV.). Possent hæc latius, adjunctis ipsis verbis & testimoniis MELANCHTHONIS, CHEMNITII, CHYTRÆI, aliorumque ostendi; si quidem præsens institutum nostrum id postularet. Sunt, qui rationes atque causas, cur priores nostri theologi in scriptis suis systematicis has potissimum res, & hoc ordine tractaverint, in controversiis istius temporis quærunt, quæ ipsis occasionem dederint, ut hæc præcipue capita persequerentur, omittis aliis. Quod quamvis haud plane alienum sit, & ad momenta nonnulla primorum locorum theologicorum ecclesiæ nostræ distinctius intelligenda non nihil faciat; totum tamen

con-

consilium, quod in condendo systemate theologico secuti sunt beati isti viri, non exhaurit. Multo aptius pleniusque aperiuntur consilii hujus rationes, si illud, quod res ipsa loquitur, totum in vita christiana recte instituenda, & in extruendo quodam perspicuo & pleno systemate theoretico-practico religionis christianæ, quomodo quis verus christianus fieri & esse possit, positum fuisse intelligamus. Non igitur opus erat primis istis theologis, ut de partienda theologia in dogmaticam & moralem cogitarent: quandoquidem omnis ipsorum labor ad praxin christianam spectabat, ut tum interior, tum exterior vita, & quidquid morum nomine comprehenditur, formaretur ad voluntatem divinam & ad scripturæ sacræ præscriptum.

§. XV.

Cum deinceps propter continua certamina, quæ nostris theologis contra varii generis errores intercedebant, systematica ratio nonnullorum a primo instituto paullulum deflectere, & præcipue ad formandos duntaxat mentis theoreticos conceptus tendere, nec ipsum systema theologicum ad praxin totum referri videretur; exstiterunt pii viri, qui præsupposita quodammodo accuratiori tractatione theoreticarum partium doctrinæ christianæ, & sepositis controversiis, perspicua & plana oratione in id unice incubuerunt, ut ostenderent, qualis practica institutio ex theoreticis doctrinis sequatur? quomodo secundum ista theoretica capita totus hominis corrupti status moralis renovandus & nova vita generanda sit? ac quibusnam deinceps virtutum & bonorum operum exercitiis homo incumbere debeat? Hi igitur in nostra ecclesia auctores dicendi sunt rationis illius, qua practica pars religionis christianæ a theoretica parte sejuncta separatim & seorsim traditur. Inter primos ex horum numero fuerunt b. ARNDIUS in libris de *vero christianismo*, atque b. GERHARDUS in *schola pietatis*, quos deinceps



ceps b. SCRIVERUS in *thesauro anime*, b. PORSTIUS in *theologia viatorum & regenitorum practica*, aliique magno numero secuti sunt. Quod si horum vestigiis institissent scholæ theologice, atque ad ipsorum ductum theologia in partem *theoreticam* & *practicam* distributa fuisset; fortasse concinnior, & ad naturam religionis christianæ accommodatior partitio theologiæ fuisset proditura, quam quæ postea obtinuit. Sed accidit, ut interea temporis, superiori sæculo propemodum medio, aliud quoddam nasceretur & in scholas passim reciperetur theologiæ practicæ genus, quæ *moralis* simpliciter vocari cœpit. GE. CALIXTUS, vir apprime eruditus, & in legendis scholasticis multum exercitatus, horum exemplo particulam istam totius praxeos christianæ, quæ de virtutibus & officiis præcipit, i. e. si scholasticorum stylo uti velimus, *secundam secundæ* a reliqui corporis theologiæ systemate sejungere, separatimque studiosius & limatius excolere instituit. *) Cujus rei cum in libro, qui *epitome theologiæ moralis* inscribitur, periculum fecisset, consiliumque a multis probaretur; ista proprie in scholis theologicis nostræ ecclesiæ theologiæ divisio nata est, qua distribuitur in *dogmaticam* & *moralem*. Etenim systematis theologiæ ratio, qualis adhuc obtinuerat, pene integra retinebatur, nisi quod nonnulli in articulo de lege explicationem decalogi & cum hac conjunctam virtutum & officiorum doctrinam, aut in angustum contraherent, aut plane omitterent. Sed tale systema nunc quidem peculiari appellatione *theologia dogmatica* vocari & ab ea distingui cœpit *theologia moralis*, quæ in virtutibus & officiis christianorum copiosius & separata opera explicandis versaretur. Apparet igitur, theologos nostros primitus exiguam

*) Quæ DAV. CHYTRÆUS in *regulis vitæ*, Wittebergæ, 1570, editis præstitit, in iis vir beatus non tam de nova aliqua parte theologiæ in scholis constituenda, quam de informanda vitæ communi, videtur cogitasse.

guam tantummodo particulam practicarum rerum ad religionem christianam pertinentium, *theologiae moralis* nomine complexos esse. Quod ipsum tamen, cum CALIXTUS, & qui eum presse sequebantur, nimis jejune exsequi, virtutumque praecepta paullo longiori intervallo ab interiori animi cultura per poenitentiam & fidem, sejungi, nec verus fons & indoles virtutum christianarum ex articulis de fide & justificatione satis distincte & perspicue evolvi, viderentur, quod tamen vel maxime pertinebat ad intelligendam veram naturam christianae religionis, secernendamque eam a philosophia morum; fuerunt, qui hunc defectum theologiae moralis refarcire volentes, adde-
rent eas saltem doctrinas practicas de interiori mentis cultura, quae eo spectant, quomodo ea, quando semel per conversionem & regenerationem coepta fuerit, quotidianae poenitentiae & fidei exercitiis continuari, augeri & absolvi debeat: ut sic apparere possit, quam arcto vinculo virtutes & officia christiana cum istis doctrinis cohaereant, quae ad internam animi immutationem pertinent, & quomodo ex iis emanent, & per hoc ipsum peculiarem, & a philosophicis virtutibus longe diversam indolem adsciscant. Quamquam enim & ipse CALIXTUS, & praecipue b. JO. CONR. DURRIUS, GERHARD. MEIERUS, alique praemitterent nonnulla de interno principio virtutum christianarum, de lucta carnis & spiritus, car. nimis tamen exiliter de his capitibus disputare videbantur, nec totum istud, quod ad interiorum animi quotidianum cultum pertinet, exhauriebant. Adoptabantur igitur sensim in theologiam moralem ex theologia dogmatica etiam ista decreta, quae articulum de renovatione quotidiana, seu sanctificatione constituunt, addito insuper novo quodammodo, eoque gravissimo capite de *discrimine naturae & gratiae*, quod ex articulis theologiae dogmaticae de statu peccati & de regeneratione quasi compositum est, & ad recte perspicendam veram indolem christianae vitae multum facit, adhuc vero in ipsa theologia dogmatica peculiari

D 3. *tr*



tractatione explicatum non erat. Hanc theologiæ moralis tractandæ rationem vestigiis quasi & lineis primus videtur descripsisse b. JO. OLEARIIUS, elaboravit magis, & excoluit b. BAIERUS, plenius vero exsecutus est b. BÜDDEUS in *institutionibus theologiæ moralis*. Quo exemplo deinceps b. RAMBACHIUS, Vener. JO. GE. WALCHIUS, aliique sunt usi. At enim & hoc pulcherrimo incremento addito, nihilo secius in theologia morali nonnulla præcipua capita practica, nimirum de ipso initio christianæ vitæ faciendo, ponendoque illius fundamento per intimam corrupti animi humani immutationem, in ordine conversionis, regenerationis, & fidei producendam, adhuc desiderari, prudentes nonnulli viri præclare intellexerunt. Quocirca & has doctrinas in theologia morali explicare instituerunt. Princeps hujus instituti auctor videri posset b. ERN. SAL. CYPRIANUS, in vernac. tractatu: *Sittenlehre Christi*. Idem conatus est deinceps b. CHRIST. MATTH. PFAFFIUS, in *Institut. theol. moral.* quæ theologiæ ipsius *dogmaticæ* additæ sunt. Sed ex horum numero præcipue nominandi veniunt b. MOSHEMIUS in præstantissimo *theologiæ moralis* opere, vernaculo idiomate a b. viro edi coepto, sed non penitus absoluto: & b. BAÜMGARTENIUS in *theologiæ morali*, itidem germanicè edita. *) Ex his vero, quæ dicta sunt, intelligitur, quænam hodie sit facies theologiæ dogmaticæ & moralis in nostra ecclesia, & quodnam rerum genus in alterutra a theologis nostris tradi & explicari soleat. In *theologia dogmatica* nimirum adhuc totus ille ambitus systematis theologicæ comprehenditur, quo priores nostri theologi universam religionem christianam, ejusque tum theoreticæ, tum practica decreta sunt complexi, si

for-

*) Conf. etiam Ven. GAUTZSCH, in disputat. de methodo, qua theologia mor. est tradenda, sub præsidio S. Vener. RIBOVII, Göttingæ, 1758, habita, §. 36.

fortasse unam decalogi explicationem excipias. In *theologia morali* vero traduntur aut nuda virtutum & officiorum præcepta, aut insuper totus theologiæ dogmaticæ articulus de quotidiana renovatione sive sanctificatione repetitur ac copiose explicatur, aut denique ipsi articuli de regeneratione, poenitentia, conversione, fide, & quæ cum hac arctissime conjuncta est, justificatione, ex theologia dogmatica retractantur & reliquis doctrinis practicis præmittuntur. Quod ad reliquarum partium doctores attinet, cum nobis in præsentia de nostrarum ecclesiarum consuetudine & docendi ratione potissimum disputatio instituta sit, loci communis instar rem paucis sic habeas. In reformatorum cœtu theologia moralis eandem propemodum faciem adepta est, ac apud nostrates, ut nonnulli integrum præcipue de *sanctificatione* articulum pertractarent, cujus generis est JO. HORNBECKII *theologia practica*: alii vero, & plerique quidem in virtutum & officiorum præceptis tradendis potissimum persisterent. A reliquis cœtibus, qui aut ordinem salutis corrumpunt & depravant, aut omnino ipsum fundamentum penitus tollunt & evertunt, nihil sani aut sobrii in theologia morali expectari potest, certe quod ad partem ejus potiorem de interiori mentis cultura & renovatione attinet: quomocunque cæterum laborent, ut de re morali christianorum bene meriti videantur.

§. XVI.

Progredimur nunc ad *tertium* disputationis nostræ caput (§. I.): & quo istam theologiæ partitionem, prouti nunc se habet, recte dijudicare possimus; omnium primo illud tenendum est, quod ex superioribus (§. V.) patet, religionis & theologiæ christianæ practicam partem nequaquam in explicandis duntaxat virtutum & officiorum præceptis, sed vel maxime in tradendis iis rebus, quæ ad interiorem mentis immutationem or-

ordinemque salutis constituendum pertinent, versari & idcirco complecti præcipue articulos de regeneratione, conversione, poenitentia, fide, justificante & sanctificatione. Etenim fides non modo centrum quasi & medulla est, quo cuncta, quæ ad interiorum mentis culturam spectant, referantur; sed ipsa quoad potentior partem, fiduciam nimirum, voluntatis quædam affectio est, atque propterea per suam ipsius naturam ad practicam religionis partem referri debet (§. II.). Pari jure practicæ parti theologiæ adscribendum est, quidquid de recto usu mediæ gratiæ, exercitiisque pietatis disputari potest & debet.

§. XVII.

Ex his vero facili negotio intelligi posse arbitramur, distributionem theologiæ in *dogmaticam* & *moralem*, secundum adhuc quidem receptam distributionis hujus vim, cum illius partitione in partem *theoreticam* & *practicam*, nullo modo convenire, ut dogmatica theologia eadem sit, quæ pars theoretica, & moralis partem practicam efficiat. Etenim in theologia dogmatica non theoreticæ tantum res christianæ religionis, sed multi, iique præcipui & gravissimi articuli practici explicantur & traduntur (§. XV, XVI.). Quod autem ad theologiam moralem attinet, ii quidem, qui eam tantummodo virtutibus & officiis explicandis destinant, quin & illi, qui integrum articulum de quotidiana renovatione sive sanctificatione addunt, aliquam duntaxat particulam partis practicæ tradunt & absolvunt (§. XVI.).*) Quod quamvis emendent atque corrigant ii, qui ipsos de regeneratione & fide, cæterosque eo pertinentes articulos ad theologiam moralem adjiciunt, remanet

*) Perspexit idem aliqua ex parte jam ÆGID. STRAUCHIUS, theol. mor. Disp. I. p. 3.

net tamen istud incommodum, quod eosdem articulos etiam in theologia dogmatica tractent, atque propterea theologia moralis, tanquam pars practica, non opponi possit theologiæ dogmaticæ, tanquam theoreticæ parti.

§. XVIII.

Sequitur jam illud, ut hæc distributio accurata, aut adæquata reputari nullo modo possit. Istud enim constat inter omnes, theologiam dogmaticam & moralem differre inter se, non ut diversas species sub uno genere comprehensās; ut notio generica theologiæ in utraque ex æquo insit: sed tanquam partes integrantes & constitutivæ, ut sine neutra earum notio totius theologiæ integra & salva esse possit. *) Scire vero vehementer velim, num ista partitio totius concinna, accurata & adæquata sit, cum pars aliqua principalis homogenea discernatur in particulas aliquas, quarum deinceps aliæ referantur ad priorem partem principalem heterogeneam, aliæ vero sumantur pro parte principali posteriori? aut quando in altera parte id denuo repetitur, quod in altera jam conclusum & relatam erat? Utrumque vero fieri videtur in vulgari divisione theologiæ in dogmaticam & moralem. Etenim cum per naturam rerum christiana religio complectatur duas partes principales heterogeneas, theoreticam nimirum atque practicam (§. V.): practica vero pars particulas multas in se habeat homogeneas, quæ singulæ spectent ad recte gubernandam facultatem mentis nostræ appetitivam, aliæ quidem ad interiorem mentis statum tum primitus per generationem veræ fidei ordinandum, tum deinceps in sanctificationis quotidianæ cursu magis magisque excolendum, aliæ autem ad virtutes

E &

*) Conf. ÆGID. STRAUCHIUS, l. c. p. 2.



& officia explicanda, quæ isti interiori & habituali statui congruunt (§. cit.); secundum vulgarem istam distributionem discernitur pars principalis altera, practica nimirum, hoc modo, ut particula nonnulla tribuantur parti priori principali heterogeneæ, sive theoreticæ, ut loci de regeneratione, conversione, poenitentia, fide, illiusque fructibus proximis & sanctificatione: reliquæ vero particulae constituentur pars altera principalis. Aut si vel maxime omnes particulae partis posterioris principalis tradantur in theologia morali; multæ tamen earum referuntur simul ad partem principalem priorem, & in ea simul comprehenduntur: ut inanis & supervacua repetitio earundem particularum in utraque principali membro divisionis manifesta sit (§. XV.). Igitur in hac vulgari theologiæ divisione tale quid videtur fieri, quale, si quis totam humanam naturam ita dispertire velit, ut animam cum corpore, exceptis pedibus, faceret primam partem principalem, pedes vero deinceps alteram: aut ut anima cum trunco corporis sit prima pars, altera vero integrum corpus.

§. XIX.

Ex his per se manifestum est, fieri non posse, ut ratio hujus divisionis vulgaris apte & distincte explicetur. Possem hoc loco copiosus esse in recensendis difficultatibus & repugnantibus assertis, quibus implicantur omnes hujus divisionis explicationes apud theologos adhuc obvia. Sed ut singula persequar, necesse haud est. Satis habeamus ea, quæ ad summam rei pertinent, paucis discussisse. Theologia vulgo dicitur complecti tum *credenda*, tum *agenda*, quorum ista tradantur in theologia *dogmatica*, hæc vero in theologia *moralis*. Sic disputare deprehendes tantum non omnes, qui aut in historia theologiæ lit. aut in institutionibus suis theologicis de hac di-

divisione expedienda fuerunt solliciti. Sed quæ tandem sunt credenda? quæ agenda? aut quæ vis & potestas his vocibus subijcienda est, ut accurate distingui possint? Quod si *credenda* appelles ejusmodi doctrinas, quæ proxime pertinent ad instituendum intellectum in veris notionibus de Deo & de natura reliquarum rerum formandis, *agenda* vero, quæ in emendanda & ordinanda voluntate ejusque actibus versantur; falsum est, in theologia dogmatica *credenda* tantum, & in morali *agenda* tradi (§. XVII.). Si vero *credenda* vocare velis ejus generis decreta, quæ ad producendam & augendam *fidem* requiruntur, *agenda* vero ea, quibus explicantur *fructus* fidei in vita & moribus; primo quidem in theologia dogmatica, si articulos theoreticos spectes, principia traduntur, quæ proxime & per se neque *fidem*, neque *fructus* fidei continent, sed informant tantummodo intellectum veris notionibus de Deo, rerumque natura: ratione conclusionum vero æque inserviunt fructibus fidei recte definiendis, ac fidei ipsi producendæ & augendæ. Non igitur vulgaris theologia dogmatica in credendis tantummodo versatur. Accedit, quod theologia moralis, apud eos certe scriptores, qui integrum de sanctificatione locum, aut omnino de conversione & poenitentia, in eadem tractant, multa habeat, quæ secundum hanc vocem potestatem, non *agenda*, sed *credenda* vocanda sint: quocirca res ad easdem difficultates revolveretur, quas supra (§. XVIII.) in vulgari divisione notavimus. Illorum vero ratio, qui virtutes tantum & officia in theologia morali explicant, vehementer vereor, ne usui loquendi & receptæ potestati vocabulorum plane repugnet, ideoque in multorum animis notiones gignet falsas & erroneas. Etenim ex communi usu loquendi *agendum* vocatur, quidquid a nobis iudicio & voluntate suscipiendum est, sive jam interiores duntaxat voluntatis motus, affectiones & decreta sint, sive exteriores actus. Paucis, cum quis vocem,

agenda, audit; naturali vocabuli potestate adductus, illas res cogitat, quæ alias *practicæ* vocantur. Id quod probe intellexerunt recentiores illi theologiæ moralis scriptores: utpote qui theologiā moralem, quæ de agendis præcipiat, ac partem theologiæ practicam, simpliciter pro una, eademque re accipiunt. *) Propterea, quidquid ab agendis distinguitur, & iis opponitur, quis facile pro *theoretico* habet. Hinc accidit, ut hæc vulgaris theologiæ divisio gravissimis incommodis prematur, & consecutaria nonnulla habeat admodum noxia. Gignit enim apud nonnullos perverfas plane notiones de vera indole & natura religionis christianæ. Qui cum audiunt, eam partem hujus religionis, quæ complectatur agenda, & idcirco practica sit, tradi in theologia morali, quæ alia sit, quam theologia dogmatica; continuo, quæcunque in theologia dogmatica vident doceri, quoniam credenda vocantur, quæ agendis opposita sint, ad theoreticas tantummodo intellectus notiones & speculationes referunt. Hinc gravissimos articulos de regeneratione, conversione, poenitentia, & fide, pro iis habent, quibus satisfaciant, dummodo eosdem intelligentia & memoria complectantur: totam praxin religionis christianæ versari putantes in exercitiis quibusdam virtutum & officiorum. Alii spernunt plane atque contemnunt istos articulos, tanquam jejunas sterilesque ingenii speculationes ac subtilitates, quæ vitam moresque hominum nihil juvent: quod ab iis sæpe fieri videmus, qui naturalismo aut indifferentismo infecti sunt. Idem nonnullis nostratium, qui superiori potissimum sæculo nimis lenitatis erga pontificiorum errores fuerunt accusati, aliquo modo videtur crimini dari posse. Hujus generis pravæ opi-

*) Vid. e. g. b. BAUMGARTEN. *theolog. moral.* §. 4. coll. §. 2.



opinionēs igitur sequuntur maxime eam theologiæ moralis rationem, quæ, GE. CALIXTI exemplo, in præceptis virtutum & officiorum explicandis duntaxat versatur. Hoc ipsum permovit prudentes nonnullos theologos, ut de addendis ad theologiā moralem articulis de sanctificatione, & deinceps de poenitentia & conversione cogitarent. Quod consilium levat quidem quodammodo ista incommoda, sed quod ad methodum & docendi rationem attinet, confusiones & difficultates majores parit (§. XVIII.).

§. XX.

Has rationes qui recte secum putat, intelliget fortasse, omnium aptissime & indoli christianæ religionis convenientissime universam theologiā simpliciter distribui in partem *theoreticam* & *practicam*. Etenim quemadmodum *philosophia*, eadem divisione adhibita, in disciplinis *theoreticis* explicat naturam rerum, rectasque de iis animo notiones ingenerat, quas deinceps in *practicis* transfert ad definiendum discrimen bonorum malorumque, istaque appetere, hæc fugere docet; ita & scriptura sacra, sive religio divinitus patefacta instituit intelligentiam nostram multis notionibus, quæ per se sunt *theoreticæ*, de Deo, ejusque attributis & personis ac operibus, de statu hominis, de Christo redemptore, de gratia Dei in Christo, de fati hominum post corporis mortem, aliisque eo pertinentibus: his vero omnibus deinceps utitur ad formandum hominis animum moresque, quo finis sui, & summi boni, & beatæ vitæ potiatur (§. V.). Hanc igitur divisionem si simpliciter retineamus, quoniam ipsi naturæ rerum ad theologiā pertinentium per se & proxime congruit, effugiemus primo omnia ista incommoda methodi, quæ supra in vulgari divisione repre-



hendimus (§. XVIII.) : cuncta poterunt, suo quaque loco, pulcherrime disponi, & inter se aptari: evitabunturque infinitæ istæ rerum repetitiones otiosæ, quas secundum vulgarem distributionem in tractanda theologia dogmatica & morali apud plerosque deprehendimus.

§. XXI.

Jam si partem *theoreticam* vocare velis theologiam *dogmaticam*, *practicam* vero *moralem*, non errabis: immo tui loquendi & potestati vocum multo aptius satisfacies, quam id quidem fit secundum vulgarem divisionem. Etenim quamvis vox, *δογμα*, apud priscos græcæ linguæ auctores adhiberetur de quibusvis decretis & opinionibus, quas quis tueretur, sive jam theoreticæ sint, sive practicæ: unde philosophi *dogmatici*, qui nonnulla decreta tanquam veræ & certa asserere audebant, opponebantur *scēpticis*, qui nihil veri aut certi in ulla re inveniri posse pugnabant; apud ecclesiasticos tamen scriptores jam antiquis temporibus sensim consuetudo invaluit, ut illa duntaxat conciliorum decreta *δογματα* vocarent, quæ tantum non semper pertinebant ad res christianæ religionis theoreticas. Ab his distinguebant *canones*, qui spectabant ad formandos christianorum mores atque vitam: Quamquam his canonibus non integram, aut interiorem christianismi praxin complecterentur, sed officia plerumque & actus exterioris vitæ. Ex adverso tum apud græcos *τα ἠθικα*, cum apud latinos *mores*, unde disciplinæ moralis, sive ethices nomen, utique non pertinent ad exercitium & actus duntaxat singularium virtutum & officiorum, aut ad vitam exteriorem; sed vel maxime ad totum interiorem statum animi, constansque judicium, quod sequitur homo in appetendis vel fugiendis rebus: sive, ut nostri ho-

homines loquuntur, ad *habitualement dispositionem voluntatis omniumque inclinationum illius*. In *philosophia morali* idcirco summo studio quæritur, non de virtutibus & officiis tantum; sed de toto fine hominis, de summo bono, & de tota vita beata, in quonam mentis & animi statu ea versetur? quomodo denique & qua via homo istum animi statum, in quo inest beata vita, assequi, eumque retinere & augere possit? Quod quidem a sapientibus omnium gentium jam olim anxie quæsitum, sed non inventum est. Quidni igitur in theologia isti loci pertineant ad *partem moralem*, quibus ex præceptis theoreticis divinitus patefactis concluditur, quis sit verus finis hominis peccatoris? quid summum bonum? quæ vita vere beata? sive *quis sit status gratiæ in universum*? deinceps, quæ sit via & ratio obtinendi istum statum gratiæ, eumque retinendi: quæ remedia utriusque rei, & quis legitimus eorum usus? denique quibusnam virtutibus & officiis, per ipsam naturam status gratiæ & beatæ vitæ, studendum sit ei, qui in isto statu constitutus sit? Apparet igitur ex ipsa vocum potestate vulgari, si eam retinere velimus, theologiæ moralis esse, ut de toto statu gratiæ in universum, de fide justificante, de productione fidei, sive regeneratione, conversione & poenitentia, de sanctificatione, sive quotidiana renovatione exercitiisque virtutum, de mediis gratiæ, tandem vero de officiis christiani hominis præcipiat. Præclare præter cæteros supra (§. XV.) relatos hæc omnia intellexit b. J. ALB. FABRICIUS, *) qui doctrinas de fide, & de gratiosis operationibus divinis ad renovandum hominis animum, sine ambagibus refert ad disciplinam moralem: quamquam

*) Delect. argum. & syll. script. de veritate R. C. Cap. 42, §. 3. 4.

quam vulgari notione theologiæ moralis præpeditus vir præstantissimus eo delabatur, ut hanc de interna mentis restauratione moralem partem peculiari nomine *theologiam mysticam* vocet, quæ ab ethica christiana, sive a *theologia morali* proprie sic dicta, sejuncta sit. Sed quamvis de theologia mystica puriori recte pronunciari possit, eam doctrinas de operationibus Spiritus sancti ad regenerandum & renovandum hominem pertinentibus continere, eandemque rationem b. BUDDEUS, *) aliique nonnulli præstantissimi theologi secuti sint: nihil tamen attinet, novam theologiæ partem exsculpi; cum quæ theologiæ mysticæ attribuuntur, doctrinæ, particulæ sint partis practicæ theologiæ, & per ipsam rerum naturam in theologia morali in universum comprehendantur: quod & ipse BUDDEUS, l. c. agnoscit. Quamquam in eo haud satis sibi constat vir beatus, quod primum quidem theologiam mysticam, atque propterea theologiam moralem fateatur ad locum de regeneratione etiam pertinere, deinceps vero eandem ad incrementum vitæ spiritualis, sive ad articulum de sanctificatione tantum, exclusâ & præsupposita regeneratione, trahat. b. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS, quam bene animo conceperat, theologiæ dogmaticæ & moralis conformationem, **) minus bene deinceps in ipsis institutionibus videtur exsecutus esse; cum nihilo secius hosce articulos in theologia dogmatica pertractet, eosdemque deinceps in theologia morali repetat, etsi liberiori & nullis scholasticæ methodi legibus alligato stylo:

ita

*) Institut. Theol. mor. P. I. Proleg. §. 26.

**) Vid. illius Program. de connubio theol. dogm. & moral. in append. P. III. Hist. lit. Theol. quod & præfixum est institut. Theol. dogm. & moral.

ita ut videatur putasse, totum theologiæ dogmaticæ & moralis discrimen, quod ad hos articulos attinet, versari in sola diversitate methodi, atque theologiam moralem in hisce articulis nullam aliam esse, nisi eam, quam nonnulli nostrorum theologorum alioquin *asceticam* appellant.

§. XXII.

Sed, quod jam majus est, si hanc theologiæ divisionem sequamur, vera indoles christianæ religionis, summaque illius præstantia præ sapientia naturali, multo luculentius declarari, & quasi ad oculum cujusvis hominis demonstrari potest. Etenim cum & *philosophia moralis* sapientiæ & beatæ vitæ magistram se profiteatur: si theologia moralis eo, quem §. superiori explicavimus, sensu opponatur quasi ei e regione, apparebit, quam manca, quam exilis, quam jejuna & quodammodo dubia ista sit in ipso jam sine constituendo, & quanta gravitate, vi, efficacia, luce, ac majestate in isto fine, sive beata vita declaranda, eam *theologia moralis* superet. Cumque viam ad beatam vitam *philosophia moralis* aliam habeat nullam, nisi virtutis studium; *theologia moralis* e regione ipsius posita declarabit, quam immanem hiatum relinquat ista: utpote quæ animum hominis, infinitis miseriis intus & extus oppressi nec sedare satis isto virtutis studio, nec ipsam virtutem eo, quo ipsa videt fieri oportere, modo imbecillo homini ingenerare potest. Cum contra *theologia moralis* planissimam viam, quæ tum majestati laudibusque divinis, tum naturæ humanæ pulcerrime congruit, ostendat, qua hominis animus divina virtute immutari solide, atque per gratuitam fidei justificationem erigi ad divinam vitam, amoreque Dei per Christum imbui plane & repleri possit, ut deinceps spretis & conculcatis cupiditatibus & libidini-



bus hilari excelsoque animo homo, viribus divinis instructus, in tota vita omnia ex voluntate Dei gerat. Ex quibus deinde quivis facili negotio intelliget, eos, qui sprete religione revelata, sola naturali sapientia se contentos esse velle profitentur, æque sapienter facere, ac si quis ad adscendendum arduum asperumque montis jugum, ad quod sibi enitendum esse ipse intelligit, sprete scala facilimisque gradibus a summo artifice paratis, recto cursu suis viribus contendere velit, quamvis sentiat, se nihil agere vanis suis conatibus, nec unquam cacumen istud attingere. Verumtamen quo manifestius & luculentius hac methodo stultitia hominum, naturali sapientia, sprete & rejecto Christo, ad Deum & ad veram virtutem beatamque vitam accedere & ad salutem pervenire contendendum, declarabitur; hoc magis apparebit, verendum esse, ne, quidquid isti homines de cultu divino & de virtutis studio garriant, sit nuda hypocrisis vanaque jactantia; neque se unquam serio de Deo recte agnoscendo & fruendo, aut de virtute exercenda, cogitasse.

§. XXIII.

Accedit, quod pulcherrimus iste omnium theologiæ articuloꝝ concentus, arduissimusque eorum nexus, quem analogiam fidei vocant, hac methodo, ut nobis quidem videtur, omnium optime & accuratissime declarari & perspicui possit. Etenim cum & ipsi illi articuli, qui per se theoretici sunt, eò unice consilio præmissi & positi intelligantur, ut ex iis deinde constituatur, quis sit verus cultus Dei? quis finis hominis? quæ beata vita? & quæ via ad eandem? Continuo apparebit, nihil esse otiosi traditum in theologia dogmatica, nullis indulgeri vanis & jejunis animi speculationibus: sed cuncta tendere ad veram cognitionem & cultum Dei in animo hominis
ge-

generandum, & restaurandam hominis salutem; ut jam tota praxis christiana sine illis locis theoreticis nec constare sibi, neque ab ullo homine re ipsa suscipi possit. Quo facto & vitia ista, quæ cum *theologia comparativa* conjuncta esse solent, evitantur. Hinc nec articuli maxime practici pro nudis theoreticis speculationibus, ad vitam beatam nihil facientibus, falso habebuntur, & ipsi articulis theoreticis justum pretium statuetur, necessitasque sentietur cognoscendi illos, si quidem ad beatam vitam adspirare velimus. Gravissimum præcipue articulum de justificatione gratuita per solam fidem, quem h. majores nostri caput & arcem totius christianæ religionis recte & merito dixerunt, qui vero nostra ætate a multis, qui successores istorum videri volunt, pessime & improbe depravatur ac traducitur, intelligemus, quamquam per se & proxime theoreticus videri possit, adeo arcto & necessario nexu illigatum esse praxi christianæ, ut hæc sine isto plane adesse, aut vita divina, quam scriptura sacra describit & poscit, ullo modo generari & retineri non possit. Ceperunt equidem dudum præstantissimi nonnulli theologi, ut JO. HENR. MAJUS, *) b. BREITHAUPTIUS, **) b. BUDDEUS, †) b. FREYLINGSHAUSEN, ††) aliique pii viri, consilium addendi continuo ad singulos articulos, qui theoretici videntur esse, usus quosdam practicos. Quod institutum quamvis utilissimum omnique laude dignum sit, cum tamen ad dispersas duntaxat observationes redeat; totam causam, quomodo tota beata vita totusque ordo salutis a quolibet horum articulorum, & ab integro eorum complexu

ac

*) In Synopsi theol. moral.

**) In institut. theol.

†) In institut. theolog. dogmat.

††) Grundlegung der Theologie.

ac harmonia suspensus sit, non æque bene exhaurit, aut perspicue satis explicat. Sed ista ratione, quam adhuc explicavimus, arbitramur, incommodis illis mederi posse, quæ cum vulgari ista theologiæ divisione in dogmaticam & moralem conjuncta esse, supra ostendimus. (§. XIX.)


§. XXIV.

Darem hoc loco accuratiorem paullo delineationem systematis theologici, ad eam, quam animo concepimus, formam compositi; nisi hoc ipso anno coepissem auditoribus meis tradere *theses theologicas*, hac ipsa methodo conscriptas. Quæ quidem ut suo tempore, si Deo placuerit, in lucem publicam exant, curabo.

S. D. G.









solche verbotene handel, seint straffwürdig, und dem
 unterworfen, dahin sie die Rüge-Männer bringen sollen:
 Verbrechen und fast unzählig andere mehr, so wieder Gots
 und die moralischen Gesetze streiten, so lange solche nicht
 her ärgernuß, und thathandlung aufgebrochen, noch für
 nal Richter gebracht, seind bisshero nicht beachtet, noch
 für sünde gehalten, daher die Bosheit mehr und mehr
 en, so dennoch durch die hülffe Gottes verhütet werden
 dieses Sitten- und moral Gericht, durch Bestellung der
 erumb wird stabiliret werden.

en aber die Rüge-Richter hiebey aller bescheidenheit sich
 en, und unterscheid zumachen, unter schlechten Verbre
 is menschlicher Schwachheit geschiehet, und durch ohnachts
 gangen werden, oder da zugleich Bosheit mit untermen
 e auch aus lauterm Vorsatz, und malitz geschehen, den
 schaden, schimpff und Ungelegenheit zubringen, wiederumb
 rbrechen in conatu nur bestanden, oder zur that und wür
 erschlagen, item ob die verbrechere und beleidiger zur Ver
 neiget, ihre fehler selbst bekennen, und verbitten, oder ob
 pflich wieder glaubhafte anzeige verneinen, ihre böse tha
 ehen gleich in Worten oder Wercken, zuvertheidigen, und
 n sich unternehmen, ob sie Besserung an ihnen zuspüren oder
 e mehrmahls schon, in einem und andern Laster betroffen,
 eret, und keine emendation geachtet, bey diesen und an
 nmenden umbstenden die Mensur der Bestrafung zuneh
 arnach solche zulindern oder zuschärffen seyn wird;

auch die Verbrechen so beschaffen, daß dieselben zur gefenck
 , und darauff erfolgende Bestrafung solten gedeien, ist dem
 Gericht, oder Fiscali davon bericht abzustatten, und die
 g zugewarten.

der Bestrafung seind auch die Gradus admonitionis, &
 Correctionis, nicht aus der acht zulassen, und solche für
 a zuversuchen, weil dieses moral Gerichte, nicht, wie bey
 nali judicio gebreuchlich, mit Ketten und Bänden, noch
 schwerd geführet wird, wüste aber in Contumaces einige
 ensura ergehen, so bannum Ecclesiasticum nach sich zöge,
 ist

